An. et vol. XXXII — 16 Decembris 1940 — (Ser. II, v. VII) - Num. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Motu proprio, p. 529 - Homilia, p. 531 - Constitutiones Apostolicae, p. 536 - Litterae Apostolicae, p. 541 - Epistula, p. 549 - Allocutio, p. 550.

Acta SS. Congregationum: *S. S. Congr. S. Officii*: Decreta, p. 553 - *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 554 - *S. C. de Propaganda Fide*: I.-II. Decreta, p. 555. III. Nominationes, p. 556. IV. Designationes, p. 557 - *S. C. Rituum*: I. Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Iustini De Iacobis, p. 558. II. Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Aemiliae de Vialar, p. 559. III. Decretum de «Tuto» pro canonizatione B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, p. 561. IV. Decretum de virtutibus Ven. Ioannis B. a S. Michaële Archangelo, p. 563. V. Decretum de virtutibus Ven. Mariae Teresiae de Soubiran, p. 567.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: Responsum, p. 571 - *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 572.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 573-576.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XL

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L.* it. 55 —

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L.* it. 4,50

«Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur»* (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXII, n. 13 - 16 Decembris 1940)

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

PAG.

Missa, quae media nocte Nativitatis D. N. Iesu Christi celebrari solet, in pervigilio eiusdem Nativitatis sub vesperam celebranda permittitur. - *1 Decembris 1940* 529

HOMILIA

A Sancto D. N. Pio Papa XII, die 24 mensis Novembris a. 1940, in Basilica Vaticana habita, infra Missam coram populo supplicante pro praesentibus societatis humanae necessitatibus celebratam 531

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *De Oubangui-Chari et de Foumban* (Berberaten.). - E Vicariatibus Apostolicis de Oubangui-Chari et de Foumban in Africa Aequatoriali Gallica partes dismembrantur et exinde nova erigitur Praefectura Apostolica «Berberatensis». - *28 Maii 1940* 536

II. *De Bikoro*. - Missio «sui iuris» de Bikoro in Congo Belgico in Praefecturam Apostolicam evehitur. - *25 Iunii 1940* 538

III. *De Chittagong* (de Akyab). - A Dioecesi de Chittagong et a Provincia ecclesiastica Calcuttensi territorii pars distrahitur atque nova exinde Praefectura Apostolica sub nomine «de Akyab» erigitur. - *9 Iulii 1940* . . . 540

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Viterbiensium civitas*. - Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ditatur Cathedrale Templum Viterbiensis Dioecesis, in honorem S. Laurentii Martyris Deo dicatum. - *10 Iulii 1940* . 541

II. *Urbis Sancti Sebastiani*. - Beata Maria Virgo sub titulo «del Coro», corona redimita, civitatis Sancti Sebastiani in Dioecesi Hispaniae Victoriensi Patrona declaratur. - *16 Iulii 1940* 543

III. *Perusinae dicionis*. - Templum Cathedrale Arequipensis Dioecesis Basilicae Minoris honoribus privilegiisque decoratur. - *20 Iulii 1940* 544

PAG.

IV. *Mexicana*. - Beata Maria Virgo sub titulo de «Ocotlan» totius Archidioecesis Angelorum, Mexicana in ditione, Patrona coelestis confirmatur. - *8 Septembris 1940* 545

V. *Dioecesis Sancti Iosephi in America*. - Ecclesia Abbatialis ex Ordine Sancti Benedicti titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis, in «Conception» inter fines Dioecesis Sancti Iosephi in America Septentrionali, Basilicis Minoribus accensetur. - *14 Septembris 1940* 546

VI. *Ad Apostolicae Sedis*. - Titulus «Excellentiae» Socils de numero Academiae Pontificiae Scientiarum, in Civitate Vaticana constitutae, tribuitur. - *25 Novembris 1940* 548

EPISTULA

Dans la tristesse. - Ad Eflum P. D. Iosephum Ernestum Tit. S. Mariae de Aracoeli S. R. E. Cardinalem Van Roey, Archiepiscopum Mechliniensem. - *31 Iulii 1940* 549

ALLOCUTIO

Allocutio ad Legatum Galliae. - *9 Decembris 1940* 550

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. Decretum. Proscriptio operis. - *20 Novembris 1940* 553

II. Decretum. De directa insontium occisione ex mandato auctoritatis publicae peragenda. - *2 Decembris 1940* . 553

III. Submissionis notificatio. - *6 Decembris 1940* 554

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 554

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. *Flaminia Orange* (de Kelmoes). - Decretum. Nominis mutationis. - *9 Iulii 1940* 555

II. *De Yükiang-de Nancheng*. - Decretum. Dismembrationis et unionis. - *1 Augusti 1940* 556

III. Nominationes 556

IV. Designationes pro appellatione . . . 557

(Sequitur pag. 3)

An. et vol. XXXII 16 Decembris 1940 (Ser. II, v. VII) – Num. 13

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

MOTU PROPRIO

MISSA, QUAE MEDIA NOCTE NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI CELEBRARI SOLET, IN PERVIGILIO EIUSDEM NATIVITATIS SUB VESPERAM CELEBRANDA PERMITTITUR.

PIUS PP. XII

Cum bellica conflictio in praesens non exercitibus modo, sed interdum etiam pacificis civibus ruinam caedemque afferat. Nos, qui paternum erga cunctos populos gerimus animum, nihil reliqui facimus quod aliquid valeat superni saltem solacii iis omnibus impertire, qui belli causa quovis modo aegerrime afficiantur.

Iamvero, adventantibus Nataliciis Sollemnibus, Nobiscum animo recogitamus non sine difficultate ac discrimine fore ut sacri ritus, qui media nocte Nativitatis Domini summa cum christiani sensus delectatione haberi assolent, haud paucis locis a christifidelibus celebrari queant. Etenim multis in Nationibus ob nocturnas aëronavium incursiones, quae hinc inde ab inimicis perpetrantur, lege cautum est ut omnia restinguantur vel obstruantur lumina, ne facilius urbes, oppida, pagi irruentium e caelo hostium offensionibus pateant.

Futurum utique sperare ac confidere Nobis liceat, ut sanctissima saltem ea nocte sanctissimoque die, vel sponte, vel ex condicto, indutiae ab omnibus fiant, ne armorum clangor iteratos in sacris aedibus angelicos pacis concentus obruat, neve fraterni cruoris effusio caelestem illius horae laetitiam obturbet ac misere interimat.

Utcumque tamen, Nos cupientes admodum, quod supra diximus, ut nihil christifidelibus desit e supernis muneribus ac solaciis, re mature

perpensa, motu proprio ac de apostolicae plenitudine potestatis haec, quae sequuntur, decernimus ac statuimus:

I. Perdurantibus harum tristissimarum rerum adiunctis, in iis regionibus, in quibus lex obstruendae lucis viget, singulis locorum Ordinariis concedere liceat, ut in Ecclesiis Primatialibus, Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis et Paroecialibus unica Missa Conventualis vel Paroecialis, quae media nocte Nativitatis Domini celebrari potest, in pervigilio sub vesperam celebretur: ita quidem ut cum sacri ritus finem habeant, aliquid supersit temporis antequam lex, de qua supra, in effectum deducatur. Id ipsum pariter locorum Ordinarii concedere possunt ceteris ecclesiis et oratoriis publicis — non vero semipublicis privatisque oratoriis — dummodo sive ex saeculari vel immemorabili consuetudine, sive ex indulto Apostolico privilegio fruantur celebrandi Eucharisticum Sacrificium media nocte Nativitatis Domini.

II. Ante Missam Conventualem, de qua supra, vespere celebrandam, Matutinum in choro recitari potest, idem incipiendo, pro opportunitate, vel ab hora duodecima.

III. Qui sacerdotes hac concessione fruiti fuerint, poterunt postridie duas solummodo Eucharisticas litationes peragere, si modo naturale ieiunium a media nocte servaverint.

IV. Oportet autem sacrorum administri, qui hoc privilegio utantur, cum divina hostia in pervigilio Nativitatis Domini litare incipiant, quattuor iam horas nihil cibi vel potus sumpserint.

V. Ii omnes, qui Eucharistico Sacrificio, in pervigilio Nativitatis Domini celebrato, pie intererunt, praecepto die Natali audiendi sacra satisfacient.

VI. Ac praeterea christifideles omnes, qui pridie Natalem Domini sub vesperam Eucharistico Sacrificio intererunt, etiamsi iam mane Eucharistico pabulo sese enutrierint, ad sacram tamen Synaxim accedere poterunt, dummodo rite expiati riteque dispositi quattuor itidem iam horas nihil cibi vel potus sumpserint. Nequibunt vero iidem postero die divinam iterum hostiam de altari libare.

Quae vero a Nobis hisce litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse volumus ac iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die I mensis Decembris, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

HOMILIA

A SSMO D. N. PIO PAPA XII, DIE XXIV MENSIS NOVEMBRIS A. MCMXL, IN BASILICA VATICANA HABITA, INFRA MISSAM CORAM POPULO SUPPLICANTE PRO PRAESENTIBUS SOCIETATIS HUMANAE NECESSITATIBUS CELEBRATAM.

Il Vangelo di oggi ci presenta, o diletti figli, gran parte del discorso fatto dal Nostro Signore Gesù Cristo nel rispondere alle domande degli Apostoli: quando sarebbe avvenuta la distruzione del magnifico tempio di Gerusalemme, sicchè non ne rimanesse pietra sopra pietra; quale sarebbe stato il segno del suo secondo avvento e della fine del mondo. Cristo parlava ai suoi Apostoli, seduto, come narra l'Evangelista Matteo, sul monte Oliveto, guardando Gerusalemme e la mole del tempio: scena mesta e divinamente austera, in cui il Verbo di Dio fatto carne, viatore e contemplatore dei secoli eterni, si sollevava e sublimava profeta sopra i profeti. Egli, creatore dell'universo e dell'uomo, Egli, arbitro del passato e dell'avvenire, pendente dalla sua mano, si assideva al centro dei secoli annunziatore della rovina del vecchio tempio e della dispersione dei figli d'Israele, come già prima aveva promesso la edificazione sopra a Pietro del nuovo tempio della sua indistruttibile Chiesa; annunziatore della seconda sua venuta, quando « il segno del Figlio dell'uomo comparirà nel cielo; e allora piangeranno tutte le nazioni della terra, e vedranno il Figlio dell'uomo venire sulle nubi del cielo con grande potenza e maestà. E manderà i suoi Angeli con tromba sonora, e raduneranno i suoi eletti dai quattro venti, da un'estremità all'altra dei cieli ». [1] « Ecce praedixi vobis ... Caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt ». [2]

Passeranno il cielo e la terra. Passerà questa terra, che calca il nostro piede, fende e bagna di sudore la nostra mano, scruta il nostro occhio; questa terra, di cui il nostro ferro trafora e tormenta le viscere, scavando i sepolcri delle spente selve, dei mostri coevi di spiagge ignote, dei vapori di estinti vulcani e delle vene dei metalli e delle liquide fiamme, che turbano i sogni dell'uomo e ne scuotono la pace. Passerà questo nostro vecchio globo, che sembra non più bastare agli uomini e a saziare il fremito delle loro contrastanti aspirazioni, per le quali arde ai nostri giorni una lotta di così gigantesche proporzioni, da sorpassare e quasi oscurare i più grandi avvenimenti e rivolgimenti della storia del mondo. Passerà la terra, e noi tutti dovremo comparire davanti al tribunale di

[1] Matth., XXIV, 30-31.
[2] Matth., XXIV, 25 et 35.

Cristo, affinchè ciascuno ne riceva la mercede o la pena, secondo che avrà fatto il bene o il male;[3] ma non passeranno le parole di Cristo, che predice e annunzia anzi tempo agli Apostoli la storia della sua Chiesa e del mondo e le tristi vicende che incontreranno attraverso i secoli. E là, in quel medesimo discorso sull'Oliveto, in vista di Gerusalemme, li ammonisce a guardare che alcuno non li seduca. « Perchè, diceva loro, sentirete parlare di guerre e di rumori di guerre. Badate di non turbarvi; giacchè bisogna che queste cose succedano; ma non è ancora la fine: *Audituri enim estis praelia et opiniones praeliorum. Videte ne turbemini; oportet enim haec fieri, sed nondum est finis* ».[4]

No; la consumazione dei secoli non è ancora giunta. Cristo, se è asceso in cielo, sta sempre con noi tutti i giorni, anche in mezzo alle guerre e ai rumori di guerre. Non dobbiamo turbarcene, come non se ne turbarono gli Apostoli, nella predicazione del Vangelo. Ma, se il turbamento non Ci abbatte lo spirito, sentiamo però nel profondo del Nostro animo che l'ora presente è una fase della grave storia dell'umanità predetta da Cristo. E voi, diletti figli, non ignorate quanto questa nuova e fierissima guerra, che pesa sull'Europa e sul mondo, gravi necessariamente anche sul Nostro cuore, per quel paterno affetto, derivante dall'ufficio impostoCi da Dio verso tutte le genti; giacchè ben sapete che dell'affetto e dell'amore è figlio il dolore. Non è forse la dolorosa passione di Cristo il frutto del suo amore per noi? *Sic Deus dilexit mundum!*[5] E nel suo trionfale ingresso in Gerusalemme, che tanto amò, avvicinandosi alla città e rimirandola, non pianse il divin Redentore sopra di essa? E disse: O se avessi conosciuto anche tu, e proprio in questo giorno, quello che importa alla tua pace![6] Questo ineffabile lamento del Salvatore innanzi a Gerusalemme non poteva non scendere nel cuore dell'umile suo Vicario alla contemplazione dell'Europa e del mondo in immane conflitto. Noi non abbiamo nulla tralasciato per la pace fra le nazioni, consci come siamo di essere servi e ministri di un eccelso Re pacifico, pacificante, non col sangue delle battaglie, ma mediante il sangue della sua croce, e le cose della terra e le cose del cielo.[7] Abbiamo seguito il grido e l'impulso del Nostro cuore, perchè fra le genti si ristabilisse la concordia, da lungo tempo turbata e ora miseramente spezzata, con un ordine più equo e unanime, basato su quella giustizia, la quale tranquilla le passioni, so-

[3] cfr. II Cor., 5, 10.
[4] Matth., XXIV, 6.
[5] Ioann., III, 16.
[6] Luc., XIX, 41.
[7] Col., I, 20.

pisce gli odi, spegne i fermenti dei rancori e delle lotte; un ordine che tenda ad attribuire a tutti i popoli, nella tranquillità, nella libertà e nella sicurezza, la parte, ad ognuno di essi in questa terra spettante, delle fonti della prosperità e della potenza, affine di rendere loro possibile l'adempimento della parola del Creatore: *Crescite et multiplicamini, et replete terram.*[8] Fin dallo scoppiare del conflitto, il Nostro pensiero e l'animo Nostro non hanno mai cessato dal far sì che i divini conforti e gli aiuti umani fossero, per quanto Ci era possibile, impartiti a coloro, ai quali l'urto delle armi avesse cagionato perdite e dolori. *Caritas enim Christi urget nos.*[9] Padre comune dei fidenti in Cristo, Pastore dell'immenso ovile di Cristo, sono Nostri figli, sono Nostre pecorelle, i vicini e i lontani, i fedeli e gli smarriti o randagi: a tutti siamo debitori di amore, di conforto, di aiuto, di compassione, ai deboli e ai potenti, ai miseri e agl'infelici, ai sapienti e agl'insipienti.[10] Questa valle di lacrime ha talvolta procellose inondazioni di nuove lacrime da asciugare sul volto dei fanciulli, delle madri, degli uomini, dei vecchi, che sentono un duro abbandono della vita e dello spirito, specialmente in quest'ora agitata, quando la formidabile lotta, non che scemare, più aspra perdura e si avanza.

Ma, se il fragore di guerra sembra vincere e coprire la Nostra voce, dalla terra Noi alziamo lo sguardo al cielo, al Padre delle misericordie e al Dio di ogni consolazione,[11] che tutto contempla quaggiù, tutto governa e comanda al flutto dell'oceano: Verrai fin qui e non passerai oltre; qui romperai il tuo bollente furore.[12] A Lui, sotto la cui mano divina, nell'ordine universale degli eventi e delle cose, si agita l'azione libera dell'uomo senza poter sfuggire al suo provvido e ineluttabile consiglio; a Lui Noi leviamo il grido del Nostro cuore e del Nostro dolore, invocando migliori tempi al genere umano, migliori aurore e migliori tramonti alle nostre giornate: *Da pacem, Domine, in diebus nostris.* No; il nostro Dio non è come i simulacri delle genti, che hanno orecchi e non odono, hanno mani e non fanno grazie, hanno seno e non amano.[13] Il nostro Dio è amore, è la carità stessa; e noi abbiamo conosciuto e creduto alla carità che Dio ha per noi: *Et nos cognovimus, et credidimus caritati, quam habet Deus in nobis: Deus caritas est.*[14]

[8] Gen., IX, 1.
[9] II Cor., V, 14.
[10] Cfr. Rom., I, 14.
[11] II Cor., I, 3.
[12] Iob, XXXVIII, 11.
[13] Cfr. Ps. CXIII.
[14] I Ioann., IV, 16.

Questo è il mistero del cuore di Dio, il gran mistero del cristianesimo. Dio, con quella infinita e amorosa misericordia, la quale si spande su tutte le sue creature [15] ci ascolterà — nel momento e nel modo dalla Provvidenza sua benedetta disposti —, se ai piedi del suo trono salirà unanime la preghiera fiduciosa e ardente, avvalorata dalla umiliazione della penitenza; perchè appartiene alla suprema eminenza della bontà e della carità divina non solo il distribuire l'essere e il benessere a tutti, ma ancora l'esaudire nella sua liberalità i pii desideri che si esprimono per mezzo dell'orazione. Non ci ha il Figlio di Dio incarnato chiamati suoi amici nei suoi discepoli? [16] E non è pregio dell'amicizia che chi ama voglia che sia appagata la brama dell'amato?

Perciò, nella festa di Cristo Re, sotto la protezione della gloriosa Vergine del Rosario, abbiamo chiamati tutti i figli della Chiesa ad elevare con Noi pubbliche preghiere, in questo giorno; sicchè ne risulti un solo immenso coro di supplicanti, rispondenti alla Nostra voce, vari di cielo, di lingua, di costumi, di maniera, di rito, ma fervidi di una medesima fede, di una medesima speranza, di un medesimo amore, i quali rivolgano con Noi lo sguardo oltre le stelle, e al trono dell'Altissimo porgano umili invocazioni di grazia e misericordia.

Guardate, diletti figli, questo altare, questa croce che lo sormonta, questo pane e questo calice, questa tomba, su cui riverenti posiamo il piede, Pietra fondamentale della Chiesa, famosa e venerata dalla fede delle genti; guardate questo centro glorioso di tutti gli altari dell'universo. Questo è l'incruento Golgota della misericordia e della giustizia divina, sul quale si placa e si propizia la Maestà di Dio. Qui fra le ali delle schiere celesti, sotto lo sguardo dei Profeti, degli Evangelisti, degli Apostoli e dei Santi è il propiziatorio del nuovo ed eterno Testamento, dove Cristo si fa Ostia al Padre, e rinnova col portento dei portenti il suo sacrificio del Golgota nel suo Corpo e nel suo Sangue sparso per la remissione dei peccati, « non solo per i nostri, ma anche per quelli di tutto il mondo ». [17] Si adunino dunque intorno a Noi tutti i credenti in Lui; e uniti in ispirito con Noi, che qui, sotto questa mirabile volta gareggiante col cielo, offriamo a Dio il divino sacrificio di propiziazione, i sacri ministri, in ogni luogo della terra, sacrifichino e offrano all'eterno Padre la medesima oblazione monda del diletto suo Figlio, di Cristo, il quale sull'altare della croce una sola volta si offerse in modo cruento, e in forma incruenta, divisata dal suo immenso e ineffabile amore,

[15] Ps. CXLIV, 9.
[16] Cfr. Ioann., XV, 15.
[17] I Ioann., II, 2.

un numero senza numero di volte si è immolato e s'immola sui nostri altari.

Sì, o Padre nostro che state nei cieli, o Dio, protettore nostro, volgete lo sguardo a Cristo vostro Figlio ; mirate i segni vermigli delle sue ferite, a cui lo condusse l'amore per noi e l'obbedienza a Voi, con le quali volle farsi in ogni tribolazione nostro Avvocato e Propiziatore. O Gesù, Salvatore nostro, parlate al Padre vostro e Padre nostro per noi, supplicatelo per noi, per la vostra Chiesa, per tutti gli uomini, conquista del vostro sangue. O Re pacifico, Principe di pace ! Voi, che avete le chiavi della vita e della morte, donate la pace della requie sempiterna alle anime di tutti i fedeli, dal turbine di guerra travolti nella morte, e, noti e ignoti, lacrimati o illacrimati, sepolti sotto le rovine delle città e dei villaggi distrutti, per le pianure insanguinate, su per i colli squarciati, negli abissi delle valli o nei gorghi marini. Scenda sulle loro pene il vostro sangue purificatore a imbiancare i loro manti e a renderli degni e fulgidi al vostro cospetto beatificante. Voi, amoroso confortatore degli infelici, che lacrimaste alle lacrime di Marta e Maria sconsolate per il morto fratello, concedete la pace del conforto, della rassegnazione e dell'aiuto ai miseri, dalle calamità della guerra prostrati nella tribolazione e nel dolore, agli esuli, ai profughi dalla patria, ai raminghi sconosciuti, ai prigionieri, ai feriti fiduciosi in Voi. Rasciugate le lacrime di tante spose, di tante madri, di tanti orfani, di tante famiglie, di tanti derelitti; lacrime nascoste, cadenti sopra il pane del dolore, dopo durati digiuni, in freddi tuguri, pane diviso fra i fanciulli più volte condotti ai vostri altari nell'umile chiesetta a pregare per il babbo o per il fratello maggiore, forse morto, forse languente, forse sperduto. Consolate tutti coi doni celesti e con quei sollievi e soccorsi della feconda carità, che Voi sapete ispirare agli animi gentili, i quali negli affannati e sfortunati riconoscono i loro fratelli e amano le immagini vostre. Concedete ai combattenti, coll'eroismo nell'adempimento del loro dovere, anche fino al supremo sacrificio, per la difesa della Patria, quel nobile senso di umanità, che in ogni evento non fa ad altri ciò che non vorrebbe fosse fatto a sè o al proprio popolo. [18]

O Signore, regni e trionfi la carità del vostro divino Spirito sul mondo, e torni fra i popoli e le nazioni la pace della concordia e della giustizia. Siano accetti e graditi al mite e umile vostro Cuore i nostri voti, e Vi renda a noi propizio il numero e la devozione dei santi sacrifici che, prona, tutta la Chiesa, vostra Sposa, per Voi stesso, Sacerdote e

[18] Cfr. Matth., VII, 12.

Vittima in eterno, offre al divino vostro Padre. Parlate Voi ai cuori degli uomini. Voi avete parole, che penetrano e scuotono il cuore, che illuminano la mente, che calmano le ire, spengono gli odi e le vendette. Dite quella parola che seda le tempeste, che risana gl'infermi, che è luce ai ciechi e udito ai sordi, che è vita ai morti. La pace fra gli uomini, che voi volete, è morta: risuscitatela, o divino Vincitore della morte; e per Voi si tranquillino alfine la terra e il mare; cessino nei cieli i turbini, che, sfidando i raggi del sole od occulti fra le tenebre della notte, gettano su inermi popolazioni il terrore, gl'incendi, le distruzioni, le stragi; la giustizia con cristiana carità pareggi dall'uno e dall'altro lato i sussulti delle bilance; sicchè, riparata ogni ingiustizia, restaurato l'impero del diritto, estinta ogni discordia e rancore degli animi, risorga e si ravvivi in serena visione di nuova e unanime prosperità una vera e ordinata e duratura pace che affratelli, nel cammino dei secoli e nel consenso del bene più alto, tutte le genti dell'umana famiglia sotto lo sguardo vostro. Così sia.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE OUBANGUI - CHARI ET DE FOUMBAN (BERBERATEN.)

E VICARIATIBUS APOSTOLICIS DE OUBANGUI-CHARI ET DE FOUMBAN IN AFRICA AEQUATORIALI GALLICA PARTES DISMEMBRANTUR ET EXINDE NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA « BERBERATENSIS ».

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo Evangelii prolatationi in Africa Aequatoriali Gallica aptius consulatur, peropportunum videtur Vicariatus Apostolicos de Oubangui-Chari, Congregationi Sancti Spiritus concreditum, et de Foumban, Congregationi Sacerdotum a Sacro Corde Iesu commissum, aliter circumscribere et novam ibidem Praefecturam Apostolicam constituere sollertibus aliorum Missionalium curis concredendam. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de

Propaganda Fide praepositorum consilio, omnibus mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum, qui sua interesse praesumant, consensu, tenore praesentium, e praefatis Vicariatibus Apostolicis de Oubangui-Chari et de Foumban territorii partem seiungimus et separamus, atque Praefecturam Apostolicam, *Berberatensem* nuncupandam, erigimus et constituimus, cuius fines erunt: ad septentrionem, ab occasu solis ad orientem, ea decimae parallelae lineae borealis latitudinis portio, quae inter *Logone* et *Bahr Kamer* flumina comprehenditur; ad orientem, cursus *Bahr Kamer-Aouk* (*Ba Karé*) fluminis usque ad locum, quo ipsum in *Chari* flumen influit, dein, adverso cursu, *Chari flumen* usque ad locum, quo in illud *Gribingui* fluvius influit, hinc limites orientales civilium districtuum de *Batangafo* et *Bossangoa* et limites meridionales huius postremi districtus, ita tamen ut tribus, cui nomen *Sara,* tota ad novam Praefecturam, tribus vero, cui nomen *Banda,* tota ad Vicariatum Apostolicum Oubangui-Chari, cuius fit dismembratio, pertineat, tandem limites orientales-meridionales districtuum civilium de *Carnot,* de *Berberati* et de *Nola;* ad meridiem, limes meridionalis districtus civilis de *Nola* usque ad fines *Cameroun;* ad occasum, fines memorati *Cameroun* usque ad locum, quo *Vina* flumen in *Logone Occidentale* flumen influit, dein huius postremi fluminis cursus et *Logone* fluminis simpliciter dicti usque ad decimam parallelam lineam latitudinis borealis, ita ut quae regio inter flumina *Logone Occidentale* et *Pende* sita est, ea a Vicariatu Apostolico de Foumban distrahatur et novae Praefecturae adnectatur. Novam autem Praefecturam hanc *Berberatensem* Evangelii Praeconum ex Ordine Fratrum Minorum Capuccinorum, qui in regione illa tam sedulo iam adlaborant, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, curis concredimus, magnam alentes spem illos ad Christi regnum illic augescendum magis in dies adlaboraturos. Eidem itaque Praefecturae Berberatensi eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc pagi-

nam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die vicesima octava mensis Maii, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status.

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ioseph Wilpert, *Decanus Collegii Proton. Apost.*
Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXIII, n. 54. — Al. Trussardi.

II

DE BIKORO

MISSIO « SUI IURIS » DE BIKORO IN CONGO BELGICO IN PRAEFECTURAM APOSTOLICAM EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si Evangelii Praeconum studio et opera insignes quaevis sui iuris Missio fructus retulerit, digna sane videtur, quae ad potioris dignitatis gradum evehatur. Cum itaque, sicuti laeto animo accepimus, postremis hisce annis in Missione sui iuris *de Bikoro,* in Congo Belgico, ob sedulam Sodalium Congregationis Missionis operam non mediocres, Deo adiuvante, evangelizationis fructus percepti sint, et maiores habituri sperentur, Nos, enixas ab illius Congregationis Moderatoribus huic Sanctae Sedi oblatas preces, ut Missio illa in Praefecturam Apostolicam evehatur, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, attento quoque venerabilis Fratris Ioannis Dellepiane, Archiepiscopi titularis Stauropolitani et in Congo Belgico Delegati Apostolici, favorabili voto, lubenti animo excipere decrevimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum

intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia, suprema Nostra auctoritate Missionem sui iuris *de Bikoro* in Praefecturam Apostolicam evehimus, erigimus et constituimus, eodem nomine iisdemque eius finibus servatis, eamque Sodalium Congregationis Missionis curis, sicut antea, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum, concreditam volumus. Novae autem huic Praefecturae de Bikoro eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti sigillo munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die quinta et vicesima mensis Iunii, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status.

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXIII, n. 54. — Al. Trussardi.

III

DE CHITTAGONG
(DE AKYAB)

A DIOECESI DE CHITTAGONG ET A PROVINCIA ECCLESIASTICA CALCUTTENSI TERRITORII PARS DISTRAHITUR ATQUE NOVA EXINDE PRAEFECTURA APOSTOLICA SUB NOMINE « DE AKYAB » ERIGITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo dominicus grex e sui Pastoris curis et regimine uberiores possit fructus percipere, quam maxime iuvat e dioecesibus, quae nimio pateant territorio, partem seiungere, alterius Pastoris curis concredendam. Quod considerantes, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, libenter excipiendas duximus preces venerabilis Fratris Arthuri Alfridi Lepailleur, Episcopi Dioecesis de Chittagong, qui ab hac Apostolica Sede efflagitavit, ut ex peramplo suae Dioecesis territorio pars inferior ad Birmanam pertinens regionem seiungatur et nova illic erigatur ecclesiastica circumscriptio. Re itaque mature perpensa, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, suprema Nostra auctoritate a quam supra memoravimus Dioecesi de Chittagong totum territorium de *Arakan,* quod Birmaniae Gubernii ditioni subest et civiles complectitur districtus de *Akyab, Paletwa, Hyankpyu* et *Sandoway,* dismembramus et, a Provincia ecclesiastica Calcuttensi seiunctum, a metropolitico iure Archiepiscopi Calcuttensis subtrahimus; atque ex ita avulso territorio novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, nomine *de Akyab* nuncupandam, eamque curis concredimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, Missionariorum Societatis B. Mariae Virginis a *La Salette,* qui iam in Missione illa sollerter adlaborant. Huic autem Praefecturae de Akyab eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Presules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et consti-

tuta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate aut officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die nona mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXIII, n. 65. — Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR CATHEDRALE TEMPLUM VITERBIENSIS DIOECESIS, IN HONOREM S. LAURENTII MARTYRIS DEO DICATUM.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Viterbiensium civitas, omnibus plane cognitum est, quanta monumentorum rei sacrae civilique spectantium amplitudine, ac magni momenti historiae ecclesiasticae factis eniteat. Cum vero munita esset Patrimonii Sancti Petri princeps urbs, ibidem exagitatis Medii Aevi temporibus saepe saepius commorati sunt plures Romani Pontifices; atque etiam alii in eadem civitate ad Summam Sancti Petri Cathedram electi. Quapropter cum Venerabilis Frater Viterbiensium et Tuscanensium Episcopus, vicesimo quinto anno a suscepto ipsis in dioecesibus pastorali munere, Nos supplex rogaverit ut cathedrali templo viterbiensi titulum privilegiaque basilicae minoris pro Nostra benignitate impertiri dignemur, quo memorati templi decus

maxime augeatur, Nos ut benevolentiam, qua Praesulem ipsum ob eius promerita prosequimur, publice significemus, ac magis etiam magisque Viterbiensibus christifidelibus stimulos ad sacram eandem Aedem frequentandam addamus, piis praedictis votis annuendum ultro libenterque censemus. Nam idem templum, nunc cathedrale Viterbiense in honorem Sancti Laurentii Martyris Deo dicatum, originem suam habuit ex quadam, cuius iam mentio fit saeculo nono, ecclesiola, quam, postea quoque sub speciali Sanctae Sedis protectione positam, ampliatam, saeculo decimo secundo fere exeunte Caelestinus Pp. III Decessor Noster munere Cathedralis exornavit. Progressu temporum sacra eadem aedes, secundum speciosiorem formam redacta, atque etiam saeculo tertiodecimo consecrata, non modo altaribus variis, imaginibus affabre depictis et statuis, omnique sacro cultui necessaria diviteque supellectili, Praesulum Viterbiensium sollerti cura ditata est, verum etiam continentibus aedificiis, sive sacrario sive campanarum turri, quae arte et magnificentia conspicua sunt. Cum autem ob tres naves quibus constat templum idem molis amplitudine excellat, facile tam fidelium pietate ac frequentia quam divini cultus splendore etiam renidet sacrarumque functionum, quas Canonicorum Capitulum clerusque loci diligenter decoreque peragunt. Antiqua ibidem Beatae Mariae Virginis de Carbonaria a quinto decimo saeculo devote colitur; ibique pie servantur multae Sanctorum Reliquiae, quas inter eae praesertim memoria dignae Sanctorum Valentini presbyteri et Hilarii diaconi, qui, uti fertur, in regionem primi Fidem Christi adduxerunt. Multorum praeterea Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ac Romanorum Pontificum documentis monumentisque Viterbii Cathedrale Templum illustratur, quae, cum sint omnibus nota, praeterituri sumus, quamvis eadem etiam ipsa Nobis ultro persuadeant ut vota hodierni Viterbiensium et Tuscanensium Episcopi impleamus. Conlatis itaque consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, enunciatum Viterbiense templum Cathedrale in honorem Sancti Laurentii Martyris Deo dicatum in civitate ac dioecesi Viterbiensi titulo privilegiisque Basilicae Mnoris cohonestamus. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque integros effectus sortiri et obtinere, illisque, ad quos pertinent, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quid-

quam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die x mensis Iulii, a. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

II

BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO « DEL CORO », CORONA REDIMITA, CIVITATIS SANCTI SEBASTIANI IN DIOECESI HISPANIAE VICTORIENSI PATRONA DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Urbis Sancti Sebastiani intra fines Victoriensis dioecesis in ecclesia paroeciali matrici Sanctae Mariae iam ab annis multis religiosissime asservatur imago Beatae Virginis Mariae vulgo « Virgen del Coro » nuncupata, quae antiquitate atque arte effulget. Deiparam sub ipso titulo saltem ab ineunte saeculo decimo septimo venerati sunt christifideles, qui iugiter eam validam protectricem invocarunt calamitatum occasione reique publicae iacturarum, quae saepe saepius regionem perturbarunt. Ad eandem Virginem a Choro, quam novissime etiam Dux Hispaniae pie visitavit, precibusque invocavit, devote colendam uti iam reges et etiam plebs Hispaniae adiverant adhuc etiam populares proceresque turmatim cotidieque confluunt, ipsamque Beatissimam Virginem matrem potentem ac benignam clamant. Quapropter cum clerus populusque civitatis Sancti Sebastiani enixas preces, suffragiis amplissimis Episcopi Victoriensis auctas, Nobis humiliter adhibuerint ut Beatissimam Virginem a Choro praedictam, aurea etiam corona, Nostro nomine cohonestandam, civitatis Sancti Sebastiani caelestem Patronam declarare dignemur, Nos piis huiusmodi optatis ultro libenterque concedendum censemus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, memoratam Beatam Mariam Virginem sub titulo « del Coro » civitatis Sancti Sebastiani in dioecesi Hispaniae Victoriensi peculiarem apud Deum *Patronam* declaramus et confirmamus, indultis omnibus et singulis liturgicis privilegiis atque honorificentiis, quae Patronis locorum praecipuis de iure competunt. Ut praeterea magis magisque in dies foveatur et augeatur populi veneratio ac

pietas erga Beatissimam Virginem a Choro, praesentium item Litterarum tenore, Venerabili Fratri Victoriensium Episcopo eas partes committimus, ut arbitrio suo eligendo die in paroeciali matrici ecclesia civitatis Sancti Sebastiani Imaginem Beatae Virginis a Choro praedictam per se ipsum vel per ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, et ab eodem deputandum, iuxta ritum formulamque praescripta aureo diademate, servatis servandis, Nostro nomine et auctoritate, post Missarum sollemnia, redimiat. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Haec omnia benigne concedimus minime dubitantes quin eadem in religionis bonum atque in illa regione degentium christifidelium spirituale emolumentum bene vertant; decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu in posterum spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris die XVI m. Iulii an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

III

TEMPLUM CATHEDRALE AREQUIPENSIS DIOECESIS BASILICAE MINORIS HONORIBUS PRIVILEGIISQUE DECORATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Peruvianae dicionis inter Sacras potiores Aedes, quibus eadem Americae Latinae regio nobilitatur, accenseri merito potest templum dioecesis Arequipensis cathedrale, quod, decimo septimo saeculo ineunte fundatum, cum praeterito saeculo decimonono esset diro incendio destructum, stipe christifidelium regionis undique pie conrogata, ampliori modo ac magnificentia denuo exstructum est, atque etiam postea anno nempe millesimo octingentesimo nonagesimo tertio sollemniter consecratum. Hodiernus autem Arequipensium Episcopus, quadringentesimi anniversarii a civitatis episcopalis suae fundatione proximae celebrandi occasionem nactus, Nos rogat ut ad dignitatem Basilicae Minoris evehere dignemur idem cathedrale templum, quod ita nunc perfectum exornatumque est, ut dignissima sedes etiam visum sit secundi Nationalis Eucharistici Conventus, qui mense

octobri huius anni in finibus Peruvianis peragendus est; has vero preces cumulat atque ornat amplissimum suffragium Nuntii Apostolici Nostri in Republica Peruviana. Nos igitur, cum, omnibus rei momentis perpensis, vota memorata excipienda censeamus, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Nostrae apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, perpetuumque in modum, templum cathedrale dioecesis Arequipensis in ditione Peruviana ad titulum *Basilicae Minoris* dignitatemque evehimus. Haec largimur, statuimus, contrariis non obstantibus quibuslibet; decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere; suosque effectus plenos atque integros sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse et definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Iulii, an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

IV

BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO DE « OCOTLAN » TOTIUS ARCHIDIOECESIS ANGELORUM, MEXICANA IN DITIONE, PATRONA COELESTIS CONFIRMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Mexicana in ditione archidioecesis Angelorum intra fines exstat Sanctuarium Beatae Mariae Virginis de « Ocotlan » nuncupatae, quam christifideles regionis impense devoteque colunt. Hodiernus vero Angelorum Archiepiscopus ad Nos refert iam rec. mem. Decessorem Nostrum Pium Pp. X aureo diademate decrevisse Sacram Imaginem Beatae Mariae Immaculatae in sanctuario de Ocotlan servatae coronari, sed multo ante Clementem Pp. XIII Beatam Virginem Immaculatam de Ocotlan provinciae Tlaxcalensis Patronam declarasse, concessione etiam facta Missae et officii de communi Beatae Mariae Virginis. Itaque cum hodiernus ipse Archiepiscopus vota exsprimens communia cleri ac praesertim Capituli Cathedralis devotique populi sibi commissi enixas Nobis preces exhibuerit, ut, occasione quarti saeculi labentis a memoratae Imaginis Mariae inventione, quae millesimo nongen-

tesimo quadragesimo primo anno proxime venturo commemoranda est, Beatissimam Virginem Mariam de Ocotlan denuo coelestem totius archidioecesis Angelorum (quam antea dioecesim de Tlaxcala nuncupabant) Patronam declarare dignemur; Nos ad magis magisque in dies christifidelium in eadem provincia ecclesiastica degentium venerationem ac pietatem erga Deiparam augendas, precibus Venerabilis Fratris Archiepiscopi Angelorum annuendum ultro libenterque censemus. Audito igitur quoque Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memorato sub titulo de Ocotlan Beatam Mariam Virginem totius archidioecesis Angelorum coelestem apud Deum *Patronam* declaramus et confirmamus, indultis etiam omnibus et singulis privilegiis liturgicis atque honorificentiis quae praecipuis locorum Patronis competunt. Haec benigne largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant seu in posterum spectare poterunt plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII m. Septembris an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

V

ECCLESIA ABBATIALIS EX ORDINE SANCTI BENEDICTI TITULO IMMACULATAE CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE VIRGINIS, IN « CONCEPTION » INTER FINES DIOECESIS SANCTI IOSEPHI IN AMERICA SEPTEMTRIONALI, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Dioecesis Sancti Iosephi in America intra fines exstat Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis alias de Novo Monte Angelorum e Congregatione Helveto-Americana Ordinis Sancti Benedicti Abbatia, cuius templum iam abhinc annos fere quinquaginta, die nempe decima mensis maii anno millesimo octingentesimo nonagesimo primo, sub titulo Beatae Mariae Virginis Immacula-

tae. consecratum est. Affertur quidem Nobis idem Abbatiale templum, more romano-gothico exaedificatum, conspicua amplitudine enitere, picturis operibusque affabre factis exornari; ita ut inter Sacras regionis Aedes omni laude dignum merito habeatur. Cum vero, sicut mos est Religiosarum Sancti Benedicti familiarum, liturgicae in eodem functiones diligentia, decore, ac pietate quam maximis peragantur, magnificentia etiam auctae supellectilis sacrae ac pulcritudine loci, libenter fructuoseque christifideles, peregrinorum quoque more, ad ipsum Beatae Mariae Virginis Immaculatae templum per annum devote confluunt, una cum cleri dioecesis presbyteris, qui ad Sancta Exercitia explenda saepe saepius adiectum monasterium adeunt. Quibus omnium rerum adiunctis attente perpensis, cum hodiernus Abbas praefati monasterii Immaculatae Conceptionis de « Conception » in Americae Septemtrionalis Statu « Missouri » enixis precibus suppliciter demisseque Nos rogaverit, ut votis omnium obsecundantes, occasione proximi quinquagesimi anni a consecratione eiusdem, Abbatiale suum templum Basilicae Minoris titulo privilegiisque de benignitate apostolica Nostra honestare velimus; cumque has preces amplissimis suis suffragiis commendationibusque augeant tum Sancti Iosephi in America Episcopus tum Ordinis Sancti Benedicti Abbas Primas, placet Nobis nunc supplicationibus memoratis annuere. Audito propterea etiam Venerabili Fratre Nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque Nostrae auctoritatis Apostolicae plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, praedictam ex Ordine Sancti Benedicti Abbatialem ecclesiam titulo Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis in « Conception » intra fines Status « Missouri » ac dioecesis Sancti Iosephi in America Septemtrionali, *Basilicae Minoris* titulo et dignitate honestamus, illique omnia et singula conferimus iura et privilegia quae rite competunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet; decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV m. Septembris, an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

VI

TITULUS « EXCELLENTIAE » SOCIIS DE NUMERO ACADEMIAE PONTIFICIAE SCIENTIARUM, IN CIVITATE VATICANA CONSTITUTAE, TRIBUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Ad Apostolicae Sedis decus augendum severiorumque disciplinarum scientiam honorandam, Motu proprio die dato vicesima octava mensis Octobris anno MCMXXXVI, recol. mem. Decessor Noster Pius Pp. XI *Pontificiam Academiam Scientiarum* in Civitate Nostra Vaticana constituit, atque etiam opportuna, quibus Coetus ipse regeretur, Statuta eidem tribuit. Nos autem gravissimum sane munus considerantes perspicuis illis viris demandatum, qui ex omni loco et natione in praeclarum Coetum ipsum adlecti sunt, ut peculiari luculentoque Nostrae benevolentiae testimonio Pontificios de numero Academicos prosequamur, atque ita conspicua quoque eorum merita in optima scientiarum studia diligenda ac fovenda potioribus usque honoribus significationibus publice honestentur, iisdem ex nunc titulum « Excellentiae » benigne concedimus; ita ut omnes et singuli de numero tantum Academiae socii, non autem supranumerarii vel honorarii, tam in actis eiusdem Academiae quam in communi humanae societatis ratione eodem « Excellentiae » titulo decorari debeant. Sed ad debitum etiam in omnibus ordinem recte servandum, statuimus quoque ut ob huiusmodi honoris titulum Academicis Pontificiis, quibus confertur, nullum « praecedentiae », quam vocant, ius tum in Hierarchia ecclesiastica tum in Aula Summi Pontificis sive ecclesiastica sive laicali competere possit; utque Academici, qui forte alicuius Ordinis vel Congregationis religiosae sint sodales, in sui ipsorum Instituti religiosi finibus memorato honoris titulo uti, frui illumve ab aliis exigere nequeant. Haec volumus, mandamus decernentes praesentes Litteras resque omnes in eis expressas semper ac perpetuo validas et efficaces exsistere et fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri debere et ab omnibus ad quos spectat et spectabit inviolabiliter observari, dictisque Academicis Pontificiis in omnibus plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV m. Novembris, an. MCMXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. IOSEPHUM ERNESTUM TIT. S. MARIAE DE ARACOELI S. R. E. CARDINALEM VAN ROEY, ARCHIEPISCOPUM MECHLINIENSEM.

PIUS PP. XII

Notre Cher Fils, salut et Bénédiction Apostolique. — Dans la tristesse dont Notre cœur est rempli par le fait des douloureux événements qui affligent le monde et ont semé la ruine dans vos paisibles régions, il Nous est donné de recevoir par votre intermédiaire un écho des angoisses de l'épiscopat, du clergé et de la Belgique tout entière, pleurant dans une douleur commune et élevant à Dieu la prière gémissante mais toute confiante des enfants du Père céleste. Ce que Nous savions déjà ou redoutions concernant l'état lamentable dans lequel les horreurs de la guerre ont jeté ce noble pays, votre plume vient de Nous le confirmer avec des détails qui nous causent le plus grand chagrin et jettent une sombre lumière sur la situation matérielle et religieuse où ce cher peuple catholique est soudainement tombé.

Mais au milieu de tant de désastres il est bien réconfortant pour Nous d'apprendre par votre lettre que le sentiment du devoir n'a pas fléchi dans les pasteurs des âmes et que tous les Evêques restent vaillamment à leur poste, faisant honneur à leur mission et partageant avec leurs ouailles les tristesses de la situation présente. Leur conduite les signale particulièrement à Notre reconnaissance et Nous voudrions qu'ils sachent tous avec quelle tendre affection Nous leur sommes uni dans la douleur, dans la prière, et dans la ferme confiance en Dieu.

Pour le reste, il doit vous être bien doux de vous remettre à la divine Providence, tout en accomplissant vos rudes devoirs et en faisant de votre mieux pour soutenir la Foi et le courage de vos fidèles. Fixez en Dieu vos espérances et veillez à ce que l'âme religieuse de la chère Belgique ne souffre pas de l'orage qui s'est déchaîné, mais puisse plutôt en retirer un heureux accroissement de vie et de piété chrétiennes. C'est dans ces sentiments que Nous ne cessons d'élever à Dieu Nos vœux et Nos supplications, le priant de proportionner ses grâces aux souffrances de tous ces chers fils et de préparer à la Belgique un nouvel avenir de paix et de prospérité dans la justice.

Heureux de savoir que vous êtes tous avec Nous dans la prière pour Nous obtenir de Dieu les lumières et la force dont Nous avons besoin à l'heure actuelle, Nous vous demandons de continuer à faire violence

au Ciel, n'oubliant pas cependant que notre gloire à tous est dans les tribulations — *gloriamur in tribulationibus* [1] — et que c'est par la foi au milieu des épreuves que le chrétien triomphe du monde. Dans la consolante vision de cette victoire spirituelle, Nous formons pour votre personne et pour votre diocèse, pour l'épiscopat de la Belgique tout entier, pour votre clergé et pour tous vos fidèles, les vœux les plus ardents, et Nous envoyons à tous, comme gage de Notre dilection paternelle, la Bénédiction Apostolique.

Donné à Rome, près Saint-Pierre, le 31 Juillet de l'année 1940, de Notre Pontificat la deuxième.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIO

Summus Pontifex, die 9 mensis Decembris 1940, nobilissimis verbis quibus Excmus Vir Leo Bérard qua Galliae Orator extra ordinem liberis cum mandatis Litteras publicas porrexit, haec respondit.

Monsieur l'Ambassadeur,

Au moment où Votre Excellence, appelée par la confiance de l'illustre Maréchal de France, Chef de l'Etat français, à prendre la succession du si méritant Comte d'Ormesson, inaugure solennellement son importante et honorable mission d'Ambassadeur extraordinaire et plénipotentiaire, les paroles qu'Elle vient de Nous adresser révèlent une émotion et une tristesse devant lesquelles tout homme de cœur ne peut que s'incliner.

La profondeur de cette douleur, ses raisons bien connues, la virile résolution, en dépit d'obstacles presque surhumains, de ramener votre pays et votre peuple à des jours meilleurs et plus sereins, — où pourraient-elles trouver une comprehénsion plus prompte, une sympathie plus intime, un encouragement plus sincère que chez le Père commun de tous les fidèles, ce Père dont le cœur est auprès de toutes les nations dans leurs joies comme dans leurs douleurs, et qui ne peut oublier combien puissant et bienfaisant a été dans l'histoire de l'humanité et du Christianisme l'apport de pensée et d'action de la France croyante?

Au milieu des événements et des bouleversements qui commencent à donner à l'aspect extérieur et à la physionomie spirituelle de l'Europe des traits nouveaux, et dont les développements ultérieurs restent pour

[1] *Rom.*, V, 3.

le moment si obscurs, brille encore devant Notre pensée l'image de cette France catholique qui, à la grotte de Massabielle, priait si dévotement avec Nous la Reine de la Paix, alors que montaient déjà sur l'horizon de l'Europe les signes des futures tempêtes;

L'image de cette France, avec laquelle, dans le sanctuaire de Lisieux, il Nous fut donné de vivre des heures de haute édification spirituelle;

L'image de cette France à qui, sous les voûtes de Notre Dame, d'un cœur aimant, mais soucieux, Nous lançâmes Notre cri : *Orate, fratres — Amate, fratres — Vigilate, fratres.*

Aujourd'hui, Monsieur l'Ambassadeur, cette France, dont vous êtes le digne représentant, est vêtue de deuil. Frappée d'une épreuve comme il s'en rencontre peu dans l'histoire mouvementée des peuples, la Nation française, pensant à son antique grandeur, contemple dans la tristesse ses campagnes dévastées, ses fils tombés, ses citoyens éloignés de leurs demeures, ses enfants prisonniers, tristesse encore augmentée par les incertitudes de l'avenir.

Mais, si profonde que puisse être cette douleur de la France, sous ses vêtements de deuil bat un cœur fort, dont la volonté de vivre ne s'éteindra pas.

Nous voulons espérer que tous ceux a qui est échue la mission de dominer le présent et de jeter les bases spirituelles et matérielles de l'avenir, sauront développer dans l'ordre et la concorde les richesses d'énergie et de sentiment enracinées au plus profond de l'âme des peuples, et profiter du cours des événements pour fixer aux nations un but digne du dévouement et des sacrifices de leurs citoyens et, par là, capable d'éliminer les ombres et les inquiétudes qui font obstacle à un vrai accord des pensées et des volontés.

De tout cœur, Nous souhaitons à votre pays — au milieu de ses épreuves actuelles — cette force morale qu'une profonde parole de l'antique sagesse romaine définissait la « scientia rerum perferendarum vel adfectio animi in patiendo ac perferendo summae legi parens sine timore » (Cicéron, *Tusculanes*, IV, 24).

Puisse à cette vertu naturelle se joindre l'invincible énergie de l'espérance surnaturelle qui sait la puissance et la fidélité de la Providence divine, aux dispositions de laquelle aucun peuple ne se confie en vain !

Elle est d'un des plus grands parmi les fils que la France a donnés au monde et à l'Eglise, Bernard de Clairvaux, cette parole bien digne d'un saint et d'un héros : « Vinces, spem tuam in Deo fortiter figendo et rei finem longanimiter exspectando » (Epist. XXXII, Migne, *PL.*, 182, col. 137).

Puisse un tel esprit animer beaucoup de ses compatriotes ! Puissent, en ce moment décisif de sa destinée, affluer de la foi de ses aïeux dans l'âme du peuple français ces pensées généreuses et ces élans puissants, qui, en d'autres temps, furent si souvent pour la France croyante et prosternée devant Dieu, secours providentiel et principe de salut !

Dans son travail d'éducatrice en vue du bien des âmes, l'Eglise mettra en œuvre tout ce qui est en son pouvoir et répond à sa mission surnaturelle, pour entretenir et perfectionner dans le cœur des fidèles confiés à ses soins, cet esprit de sacrifice et de fraternité qui est la base morale de toute action sociale.

Vous, Monsieur l'Ambassadeur, comme profond connaisseur et représentant illustre de la vie intellectuelle française, et comme sincère catholique, vous êtes particulièrement en état d'apprécier tout le bien qu'un libre exercice de la mission éducatrice et rééducatrice de l'Eglise est de nature à produire dans tout pays qui, en ces temps de froide dureté et sans amour, s'ouvre sagement aux chaudes effluves du sentiment et de la vie chrétienne. Nous en avons la ferme confiance, les cordiales relations existant entre le Saint-Siège et la France recevront de la main sage et expérimentée de Votre Excellence les développements qui répondent non moins aux désirs de l'éminent Chef de l'Etat qu'à Nos propres vœux et à Notre volonté, comme aussi au vrai bien du peuple français.

C'est dans ces sentiments que Nous vous souhaitons, Monsieur l'Ambassadeur, une cordiale bienvenue, avec l'assurance de Notre bienveillant et constant appui dans l'exercice de votre haute mission.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I

DECRETUM

PROSCRIPTIO OPERIS

Feria IV, die 13 Novembris 1940

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt, *donec corrigatur,* opus quod inscribitur:

DAIN COHENEL [*pseudonimus* Sac. DOLINDI RUOTOLO], *La Sacra Scrittura. Psicologia, Commento, Meditazione.*

Et sequenti Feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII in solita audientia Exc. D. Adsessori Sancti Officii impertita relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Novembris 1940.

Romulus Pantanetti, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

DECRETUM

DE DIRECTA INSONTIUM OCCISIONE EX MANDATO AUCTORITATIS PUBLICAE PERAGENDA.

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione: « Num licitum sit, ex mandato auctoritatis publicae, directe occidere eos qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravare eiusque vigori ac robori obstare censentur ».

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito feria IV, die 27 Novembris 1940, Emi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Negative, cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium.

Et sequenti die dominica, 1 Decembris eiusdem anni, Ssmus D. N. Pius divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc. D. Adsessori S. Officii impertita, hanc relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 2 Decembris 1940.

Romulus Pantanetti, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

III

SUBMISSIONIS NOTIFICATIO

Sac. Dolindus Ruotolo (Dain Cohenel) humiliter se subiecit decreto Sancti Officii diei 13 Novembris 1940, quo damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus ab eo scriptum, cui titulus: « La Sacra Scrittura. Psicologia, Commento, Meditazione ».

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 6 Decembris 1940.

Romulus Pantanetti, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore providere dignatus est, nimirum:

die 20 Novembris 1940. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Melitenaeae praefecit Exc. P. D. Ioannem Franciscum Aragone, hactenus Archiepiscopum Montisvidei.

die 23 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Helenopolitanae in Palaestina R. D. Emmanuelem Trindade Salgueiro, Canonicum Ca-

pituli cathedralis Conimbricensis, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Emmanuelis S. R. E. Cardinalis Gonçalves Cerejeira, Patriarchae Lisbonensis.

die 3 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae S. Crucis de Sierra R. D. Augustinum Arce, Canonicum Capituli metropolitani Sucrensis.

die 11 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Goanae-Damanensi, cui adnexus est titulus Patriarchae ad honorem Indiarum Orientalium, Exc. P. D. Iosephum da Costa Nunes, hactenus Episcopum Macaonensem.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

FLUMINIS ORANGE
(DE KEIMOES)

DECRETUM
NOMINIS MUTATIONIS

Cum generatim circumscriptiones ecclesiasticae ab urbe principe, ubi Ordinarius residentiam habet, appellentur, huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide opportunum visum est mutare nomen Vicariatus Apostolici Fluminis Orange in Africa meridionali.

Qua de causa Emi ac Revmi Patres, huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, in Plenariis Comitiis die 8 mensis Iulii vertentis anni habitis, omnibus mature perpensis, Vicariatum Apostolicum Fluminis Orange in futurum Vicariatum Apostolicum *de Keimoes* appellandum decreverunt.

Quam Emorum Patrum sententiam, ab infrascripto huius S. Congregationis Secretario in audientia diei 9 eiusdem mensis et anni Ssmo D. N. Pio div. Prov. Pp. XII relatam, Summus Pontifex ratam habens atque confirmans, praesens ad id Decretum confici et expediri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 9 mensis Iulii A. D. 1940.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

II

DE YÜKIANG - DE NANCHENG

DECRETUM

DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS

Cum Ordinarii Vicariatus Apostolici de Yükiang et Vicariatus Apostolici de Nancheng ad faciliorem reddendam administrationem suarum Missionum supplices ad hanc S. Congregationem porrexissent preces ut, addictis Vicariatui de Nancheng nonnullis minoribus districtibus, usque in praesens ad Vicariatum de Yükiang pertinentibus, fines ecclesiastici cum finibus administrativis convenirent in civili praefectura de Tzeki, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Papa XII in audientia diei I mensis Augusti 1940, infrascripto Cardinali Praefecto huius S. Congregationis concessa, praefatorum Oratorum precibus adnuendum censuit.

Itaque inter Vicariatum Apostolicum de Yükiang et Vicariatum Apostolicum de Nancheng quod spectat conterminam civilem provinciam de Tzeki eos voluit ac statuit in posterum esse ecclesiasticos fines, qui sunt in praesenti civiles, et hoc Decretum confici iussit et expediri.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die I mensis Augusti A. D. 1940.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Celsus Costantini, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius.*

III

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 25 Octobris 1940. — R. P. Titianum a Verona (in saeculo Atilium Rigo), O. M. Capp., *Praefectum Apostolicum Hosannensem.*

die 15 Novembris. — R. P. Fridericum a Baselga (in saeculo Davidem Baldessari), O. M. Capp., *Praefectum Apostolicum Endeberensem.*

die 22 Novembris. — R. P. Iosephum Ly, e clero saeculari sinensi, *Praefectum Apostolicum de Lintsing.*

— R. P. Thomam Quinlam, e Societate Sancti Columbani pro missionibus apud Sinenses, *Praefectum Apostolicum de Shunsen.*

IV

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE

Ordinarius Praefecturae Apostolicae Mindorensis designavit pro appellatione semel pro semper ad normam can. 1592 § 2 Ordinarium dioecesis Lipensis.

Vicarii Apostolici de Addis Abeba, de Gimma et de Harar necnon Praefecti Apostolici Endeberensis et Hosannensis, quibus facta est potestas instituendi in urbe Addis Abeba unicum tribunal primae instantiae, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici Erythreae, in urbe Asmara.

Item Vicarius Apostolicus de Mogadiscio et Praefectus Apostolicus de Neghelli, quibus facta est potestas instituendi unicum tribunal primae instantiae in urbe Mogadiscio, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus Apostolici de Addis Abeba.

Quarum designationum Ssmus D. N. Pius Pp. XII approbavit, primam in Audientia diei 17 mensis Octobris et ceteras in Audientia diei mensis Novembris vertentis anni 1940.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

ABYSSINEN.

CANONIZATIONIS B. IUSTINI DE IACOBIS, EPISCOPI NILOPOLITANI, PRIMI VICARII APOSTOLICI ABYSSINENSIS E CONGREGATIONE MISSIONIS S. VINCENTII A PAULI.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

« Abyssinensis Missionis fundator, indefessus Orientalis Africae apostolus, missionariorum magister, illius fortitudinis atque abnegationis, quae ad Missiones provehendas sunt necessariae, typicum exemplar, Aethiopicae Ecclesiae angelus » ita iam dimidio saeculo decimo nono, a celeberrimo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinale Massaia salutabatur Iustinus De Iacobis, futuri illius iudicii certa praesensio quod nostris diebus de sanctitate viri eiusque virtutum heroicitate tulit Sancta Mater Ecclesia. Litteris enim Apostolicis sub anulo Piscatoris die 25 Iunii superioris anni 1939 editis, Sanctissimus Dominus Noster Pius, divina Providentia Papa XII, suprema Sua auctoritate, hunc caritatis heroem et evangelii eximium praeconem in Beatorum caelitum album retulit : sacerdotibus sacris expeditionibus addictis exemplar ostendens, quali opera, quali zelo regnum Christi pacificum per orbem dilatent, ut uberiores deinde segetes bonitatis sanctitatisque colligantur; omnibus fidelibus potentem apud Deum patronum instituens.

Quantum autem in Iustinum De Iacobis ab illa auspicatissima die, non solum Sodalium suae Congregationis Missionis et Puellarum a Caritate, verum etiam omnium christifidelium, Aethiopum praesertim, veneratio ac devotio creverit haud facile est dictu : illius enim ope implorata, plura passim feruntur patrata a Deo prodigia quae animum movent ad supremos Caelitum honores eidem Beato parandos. Cum autem ad normam iuris, antequam super miris assertis factis Apostolicae Inquisitiones conficiantur, dubium de reassumptione Causae excutiendum de more sit, Rev. Iosephus Scognamillo, Procurator et Postulator Generalis Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, collectis postulatoriis lit-

teris quorundam Emorum Patrum, Episcoporum, et totius Delegationis Apostolicae Africae Orientalis Italicae Praesulum, nec non omnium sodalium ipsius Congregationis Missionis, supplicem Beatissimo Patri libellum porrexit ut ad praefati dubii discussionem congrua dies assignaretur. Divina autem Providentia factum est ut recurrente beatificationis solemnium primo anniversario, die nempe 25 Iunii, Emus et Revmus D. Alexander Verde, ipsius Causae Relator, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu, praefata die ad Vaticanas aedes coadunato, sequens dubium discutiendum proposuerit: *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Emi Ponentis, audito R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative,* seu *Signandam esse Commissionem Reassumptionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 25 Iunii 1940.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII per R. P. D. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem, relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Rituum Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis Causae Canonizationis Beati Iustini De Iacobis, Episcopi et Confessoris e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo, die 26 Iunii 1940.

✠ C. Card. Salotti, Episcopus Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

MASSILIEN.

CANONIZATIONIS B. AEMILIAE DE VIALAR, VIRGINIS, FUNDATRICIS INSTITUTI S. IOSEPH AB APPARITIONE.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

« Sic luceat lux vestra coram hominibus: ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est » (Mt., 6, 16). Hoc divinum monitum Venerabilis Dei Famula, dum viveret, prae oculis semper habuit: in passionibus gaudens, in tribulationibus exsultans

altumque sapiens in laboribus propter Christum Iesum susceptis ad bonum proximorum provehendum.

Quae caelestis Patris glorificatio manifestius nobis eluxit quando Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII, die 18 Iunii superioris anni, beatorum caelitum honores Aemiliae de Vialar solemniter decrevit. Magnum inde in toto Instituto a S. Ioseph ab Apparitione gaudium, magnamque laetitiam conceperunt quotquot novensilem illam Beatam non solum in patria, sed amplius in vastis Asiae et Africae missionibus, matrem aut tutricem venerantur, et ad Deum supplices ingeminarunt preces ut nova per eius intercessionem bene placens divina Bonitas operaretur prodigia, quibus citius eidem canonizationis panderetur via. Quam fiduciam et pietatem erga Beatam Deus approbare visus est, cum iam plurimae gratiae et nonnulla veri nominis miracula per eius intercessionem impetrata ferantur.

Quare instante R. P. Carolo Miccinelli e Societate Iesu, huius Causae Postulatore, attentis amplissimis litteris Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Emmanuelis Suhard, Archiepiscopi Rhemen. modo Parisiensis, nec non Cardinalis Ignatii Gabrielis Tappouni, Patriarchae Antiocheni Syrorum, plurimorum Archiepiscoporum et Episcoporum, Emus ac Revmus D. Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Ponens seu Relator, in ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis die 25 mensis Iunii ad Vaticanas aedes coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio reassumptionis Causae Canonizationis Beatae* Aemiliae de Vialar, *virginis, fundatricis Instituti S. Ioseph ab Apparitione, in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi et Revmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem eiusdem Cardinalis Ponentis, audito R. P. D. Salvatore Natucci, Sanctae Fidei Promotore Generali, omnibus perpensis, respondere censuerunt: *Affirmative,* seu *Signandam esse Commissionem reassumptionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 25 Iunii 1940.

Facta autem de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII subsignata die per praefatum Fidei Generalem Promotorem relatione, Sanctitas Sua, rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, Commissionem reassumptionis Causae Canonizationis Beatae Aemiliae de Vialar, fundatricis Instituti S. Ioseph ab Apparitione propria manu signare dignata est. Die 26 Iunii 1940.

✠ C. Card. Salotti, Episcopus Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

PICTAVIEN.

CANONIZATIONIS B. IOANNAE ELISABETH BICHIER DES AGES, VIRGINIS CONFUNDATRICIS CONGREGATIONIS FILIARUM A CRUCE, VULGO SORORUM S. ANDREAE.

SUPER DUBIO

An stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem, Tuto *procedi possit ad sollemnem ipsius Canonizationem.*

Qui gloriatur, exclamat Apostolus, *in Domino glorietur*; quae verba Augustinus commentans: « Quo Domino? — ait — Christo Crucifixo. Ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita. Si vis ad illa pervenire, noli ista contemnere » (Serm. 160, 4).

B. Ioanna Elisabeth Bichier des Ages, Congregationis Filiarum a Cruce confundatrix, nonnisi in Christo Crucifixo gloriata est; ideoque Eius humilitatem, Eius infirmitates, Eius mortem amplexata, Eius maiestatis, Eius potentiae, Eius vitae participem fieri meruit, quare Eiusdem virtute confortata, mirabilia operata est atque ad Christianae perfectionis culmen pervenit.

Anno 1773, die quinta Iulii mensis, in avito oppido *des Ages* in Biturícen. Archidioecesi, ex Antonio et Maria Augier de Moussac, non tantum opibus atque nobilitate generis, sed et christianis virtutibus praeclaris, Ioanna Elisabeth orta est.

Iam ab ipsa adulescentia non indubia caritatis erga egenos infirmosque specimina exhibuit.

Religiosis Virginibus, quae « Hospitantes » Pictavii nuncupabantur, educanda a parentibus tradita, virtutibus, quae puellas decent, mire refulsit.

Quatuor post annos a parentibus domum revocata, rei familiari praeposita est; fratrisque natu minoris cura est ei concredita. Etsi pluribus occupata negotiis, cotidie tamen sacro adstare, divinoque pabulo se reficere nunquam neglexit. Gallica seditione saeviente, ne caelestibus hisce auxiliis privaretur, spretis omne genus periculis, huc illuc discurrebat, nocturno quoque tempore, ubi S. Andreas Hubertus Fournet, clanculo ex hispanico exilio reversus, sacra celebrabat mysteria, dispersasque suae Malliacensis paroeciae oves colligens, eas apostolico verbo, sacra-

mentisque roborabat. Qua rerum perturbatione sedata, Sancto huic parocho moderandam se dedidit; qui eius virtutes demiratus, eam in nova religiosa Congregatione, quam ipse, ut jacturas a seditione catholicae vitae illatas, repararet, condere moliebatur, in sociam sibi assumpsit: sicque factum est ut anno D. 1807 *Filiarum Crucis* Congregatio institueretur, quae sub sapienti tum s. Andreae Huberti, cum B. Ioannae Elisabeth regimine, uberrimos animarum manipulos, praesertim in puellis educandis, infirmisque curandis, Ecclesiae attulit modoque affert.

Difficile dictu est quo animi robore, quo patiendi ardore, quo caritatis studio fortissima virgo vires omnes in hoc condendum opus intenderit. Suae enim naturalis infirmitatis conscia, sibi diffidens, Deo omnino confisa, ab eoque confortata, difficultates omne genus superavit, suamque Congregationem felici exitu constabilivit. Quam Pius Pp. VIII Apostolicis litteris sub Piscatoris anulo latis, laudis decreto insignivit; Pius autem IX a. 1867 sollemniter approbavit.

Anno 1838 die 26 Augusti in loco La Puye Ioanna Elisabeth a divino Sponso vocata ad caelestes nuptias advolavit.

Servatis omnibus de iure servandis, die 13 Maii a. 1891 a Leone XIII P. M. fel. rec. apud S. R. C. beatificationis huius Dei Famulae causa introducta est: die 19 Martii a. 1928 heroicas ipsam exercuisse virtutes Pius Pp. XI s. m. edixit, qui pariter die 29 Aprilis a. 1934 decrevit constare de duobus miraculis a Deo eius interventione patratis: die autem 3 Maii eiusdem anni idem Pontifex Tuto *procedi posse ad eiusdem sollemnem Beatificationem* statuit, quae in Basilica Vaticana die 13 Maii proxime subsequenti, celebrata est.

Novis deinde accedentibus signis, Canonizationis causa die 19 Decembris mensis a. 1934 fuit resumpta, Apostolicaeque inquisitiones super assertis miraculis institutae. Harum iuridico valore recognito, post severam triplicem discussionem, duo miracula quae Deus, Venerabilis Ioannae Elisabeth interventione, patrare dignatus est, per decretum die 13 Maii hoc anno latum, approbata sunt.

Ut autem acta in S. R. C. complerentur, dubium erat discutiendum: *An stante duorum miraculorum approbatione, post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem,* Tuto *procedi possit ad sollemnem eiusdem Canonizationem.*

Porro dubium hoc in Generali Congregatione, coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 21 Maii habita, Revmus Cardinalis Carolus Salotti, Episcopus Praenestinus, S. Rituum Congregationis Praefectus insimulque causae Ponens seu Relator, proposuit discutiendum. Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores in unanime favorabile conces-

sere suffragium, Beatissimus vero Pater cunctandum esse aliquantulum duxit, ut maiori Sancti Spiritus luce perfunderetur. Hanc autem diem 7 Augusti mensis S. Caietano Thienaeo sacram selegit, ut Suam sententiam panderet.

Quare ad Se Rmum Cardinale Carolum Salotti Episcopum Praenestinum, S. R. C. Praefectum causaeque Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem Generalem, meque infrascriptum Secretarium advocavit, sanctoque Eucharistico sacrificio religiosissime litato, edixit: Tuto *procedi posse ad Beatae* Ioannae Elisabeth Bichier des Ages *Canonizationem*.

Hoc autem decretum rite promulgari atque in acta S. Rituum Congregationis referri iussit.

Datum Romae, die 7 Augusti a. D. 1940.

✠ C. Card. Salotti, Episcopus Praenestinus, *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

IV

VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVI DEI IOANNIS BAPT. A S. MICHAËLE ARCHANGELO, CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM SS. CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C. CONFUNDATORIS.

Super dubio

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine, earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Divinus hominum Redemptor, ut nos ad caelestia regna revocaret, non aliam nobis proposuit sanctitatis viam, quam Sui sequelam in abnegatione et in cruce: ita ut vitam Iesu in nostra carne mortali manifestaremus «*semper*, ut ait Apostolus, *mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris*» (II Cor.. 4, 10).

Non aliam sancti coluere viam; non aliam putavit esse sequendam Servus Dei Ioannes Baptista a S. Michaële Archangelo, immo in ista

fastigium attigisse videtur: sancti Pauli a Cruce, germani fratris, heroicarum sane virtutum aemulator existens.

Uvadae, Aquensis Dioeceseos, in Liguria, e non minus pia quam perspicua stirpe de Daneis, secundus post sanctum Paulum, ex sexdecim filiis, a Luca et Anna Maria Massari ortum duxit die 4 Aprilis anni 1695 Ioannes Baptista. Ab ineunte aetate pietatem, quam a piissima matre cum lacte suxerunt, sancti pueri excolere coeperunt, ac se totos divino cultui mancipare constituerunt. Hinc, spretis puerilibus ludis, orationi per plures horas, etiam noctu, insistunt; summo mane sacrum audituri ecclesiam petunt, solitudinem quaerunt, immo paenitentia non modica, etiam flagellis adhibitis, in paterna domo se exercent. Cum autem sanctus Paulus a Cruce novam condendi religiosam familiam in animo habuisset, quae a Ssma Cruce et Passione Domini nomen sumeret, habitu ab Alexandrino Episcopo suscepto, eremiticam apud oratorium campestre sancti Stephani, prope Castellatium, vitam incepit, futuraeque Congregationis regulas sapientissime conscripsit, quas Episcopo approbandas subiecit. Romam ad hunc finem petiit, sed re integra, in Argentarium montem, solitudinis ac contemplationis causa recessit, inde Castellatium rediit, ubi cum Episcopo Alexandrino, Francisco Gattinara, de vestitione fratris Ioannis tractavit. Die 28 Novembris 1721 religiosum Passionis habitum Ioannes accepit, et tamquam bonus Crucifixi miles, imperturbata fiducia in Deum sublimiter erectus, admirabili spiritus ardore una cum sancto fundatore Congregationem ab exordio erigere, erectamque ad maiora incrementa in dies promovere totius suae vitae cursu strenue adlaboravit: hinc vere eius confundator ab omnibus et ab ipso S. Paulo habitus.

Sequenti anno ambo ad solitudinem Montis Argentarii se conferunt, et in derelicto ac vacuo coenobio Eremitarum S. Augustini, Ssmae Virginis Annunciationi dedicato, considunt. In eo pauperrimo et fatiscente habitaculo, omnibus fere ad vitam necessariis destituti, penuria quoque cibi tentati, summae austeritatis exempla renovantes, vitam ducunt in ieiunio perpetuo et in exercitio assiduae orationis et contemplationis; proximorum autem utilitati consulunt, christianam catechesim pauperes ruricolas docendo.

Similem quidem ducendam esse vitam, austeritate plenam, christianis virtutibus elucentem, animarum zelo praeclaram existimarunt variis in locis ubi successive per aliquot menses commorati sunt, Caietae nempe, Neapoli, in Apulia, et Fodiae; donec anno 1725 Romam ad lucrandum indultum a Benedicto XIII iubilaeum se conferunt: ubi quadam die ad Ecclesiam S. Mariae in Domnica accedentes, ab ipso Summo Pontifice,

vivae vocis oraculo, Paulus et Ioannes licentiam socios coadunandi obtinuerunt. Sequenti anno in nosocomio S. Gallicani, in Urbe, pro curandis humanae naturae magis repugnantibus infirmitatibus, fundato, a Cardinale Corradini, valetudinarii Protectore, curae infirmorum praeficiuntur; quo in munere variis modis non solum temporali verum etiam spirituali degentium bono quam maxime incumbunt. Ob perspectas eorum virtutes, caritatis praesertim in Deum et in proximum, reluctantes quidem ob humilitatem, idem Cardinalis eos ad sacerdotium promovendi consilium iniit: ac necessariis praemissis theologiae studiis, et sacris ordinibus de more per intervalla susceptis, tandem in Basilica Vaticana ab ipso Summo Pontifice Benedicto XIII, die 3 Iunii anni 1727 sacerdotio sunt aucti: et summo animi gaudio nec non caelesti perfusi laetitia sequenti die, in festo Ssmae Trinitatis, sacrum primum litarunt. Sed ibi diutius Deus eos commorari non sivit maius et altius apostolicum eis reservans opus: quare, debita discedendi obtenta licentia, ad amatam Montis Argentarii solitudinem se conferunt, ubi eremiticam quidem ducunt vitam, contemplationi, paenitentiae operibus, rerum divinarum studio deditam, at simul actuosam et apostolicum ministerium complectentem. Munere audiendi fidelium confessiones suscepto, prius sacras missiones ad populos finitimos habent, cum ingenti animarum lucro; postea, a Summo Pontifice accepta facultate, per totam Italiam divini verbi praecones effecti, vitia eradicare, bonos mores instituere, fideles ad extremam usque aetatem indefessi adlaborarunt.

Probe autem noscens Ioannes christianae plebis integritatem a cleri vitae sanctitate pendere, hoc sibi munus maxime proprium retinuit, clericis spiritualia exercitia praedicandi; qua in parte tuenda, ut ipse Paulus ait, quanta spiritus contentione severiorem ecclesiasticam disciplinam instaurare sategerit, quanta animi praesentia obrepentes abusus insectaverit, quanto rotore vitiosos mores perstringere solitus fuerit, difficile plane est dictu.

Interim accepta a Benedicto Papa XIV regularum definitiva approbatione, auctis sodalibus, pluribus erectis asceteriis, Ioannes a fratre, die 7 Martii 1744, recessus S. Angeli prope Vetrallam primus Rector instituitur: quo in recessu, addito postea primi Congregationis Consultoris officio, usque ad mortem moratus est. Quibus in muniis omnibus religiosis suo praeibat exemplo; quamvis externe austerus et asper videretur, suavi tamen caritate subditos gubernabat, eorumque necessitatibus materno amore providere curabat. Zelo ardentissimo tuendae ac dilatandae Ecclesiae accensus, Deum cum lacrimis precabatur ut eiusdem Ecclesiae necessitatibus succurreret et operarios inconfusibiles.

apostolico mandato dignos, ad eam mitteret. In spirituali autem regimine adeo prudens et sapiens erat, ut animas ad altiores perfectionis gradus secure ac facile dirigeret: immo et ipse Sanctus Paulus eum, post ordinationem sacerdotalem, in directorem spiritualem et confessarium suum elegit, ei semper subiectus et eius utens consiliis.

Tandem post innumerabiles aerumnas invicta animi fortitudine superatas, laboribus et paenitentiis fractus, die 10 Iulii anni 1765 in gravem morbum incidit. Mortem iam vicinam praesentiens Ioannes, qui portionem suam in hac vita unice existimaverat pati et contemni pro Christo, ad eam se praeparabat, passionem Domini corde recogitans, et in exercitio omnium virtutum, humilitatis praesertim et obedientiae se exercens. Die autem 30 Augusti eiusdem anni, omnibus Ecclesiae sacramentis devotissime susceptis, in suavissimo cantu « Salve Regina », ipso Sancto Paulo a Cruce praecinente, placidissime obdormivit in Domino. Ad eius funebria omnis personarum coetus ultro confluxit, qui demortui sanctitatem una voce extollebat et praedicabat. Quae sanctitatis fama temporis decursu non modo exstincta non est, immo in dies magis efferbuit: plures enim oculares testes qui in processibus pro Causa S. Pauli auditi fuerunt, communi testimonio affirmarunt, non tantum Paulum sed etiam Ioannem heroicis fulsisse virtutibus, eumque famam sanctitatis adeptum fuisse cum in patria, tum in locis vel urbibus ubi commoratus est vel ministerium apostolicum exercuit. Variis autem de causis factum est ut haec perpulchra Causa per ultra saeculi spatium in sua umbra permanserit, et nonnisi anno 1909 informativi adornati fuerint processus: quibus absolutis, servatis ceteris de iure servandis, Causa Servi Dei Ioannis Baptistae a S. Michaële Archangelo, praehabito huius Sacrae Congregationis Sectionis Historicae voto favorabili, demum introducta est, signata Commissione die 11 Decembris 1930. Tunc ad normam Motus Proprii Pii Papae XI de Causis Historicis, omisso processu apostolico, tota res nostrae Sectioni Historicae demandata est; quae, ea qua pollet sagacitate et criticae severitate, omnia documenta collegit, investigationes in publicis et privatis archivis maximo studio peregit, et informationem super Causa Servi Dei amplissima et concinna relatione confecit. Quae omnia, additis pro munere Promotoris Fidei generalis animadversionibus, in antepraeparatorio coetu coram Revmo Cardinali Alexandro Verde, Causae Relatore, die 9 Novembris 1937 de more examinata, iterum in praeparatoria Congregatione, in Aedibus Vaticanis die 26 Aprilis 1938 ad trutinam sunt revocata. Tandem die 9 Iulii anni 1940, coram Sanctissimo D. N. Pio Papa XII, generalia comitia coadunata sunt, in quibus praefatus Causae Relator dubium de heroicis Servi

Dei virtutibus discutiendum proposuit. Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores suffragia sua ex ordine protulerunt ; quibus perceptis, Beatissimus Pater suam mentem satis aperte significavit, sententiam tamen suam decretoriam differre censuit, ut interim, effusis precibus, uberius e caelo lumen exposceretur.

Quum vero mentem suam pandere statuisset, hodiernam selegit diem, Sancto Caietano, Cler. Reg. fundatori, sacram ; eapropter accersiri voluit Reverendissimos Cardinales Carolum Salotti, Episcopum Praenestinum, Sacrae Ritum Congregationis Praefectum, et Alexandrum Verde, Causae Relatorem, nec non R. P. Salvatorem Natucci, S. Fidei Promotorem Generalem, meque infrascriptum secretarium, et, Sacro devotissime litato, solemni decreto edixit : *Ita constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum cum in proximum ; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia ac Fortitudine earumque adnexis Ven.* Ioannis Baptistae a S. Michaële Archangelo *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur ut ad ulteriora procedi possit, nimirum ad disceptationem quatuor miraculorum.*

Hoc autem decretum evulgari et in actis Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit, die 7 Augusti anni 1940.

✠ C. Card. Salotti, Episcopus Praenestinus, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

V

PARISIEN. seu CARCASSONEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE TERESIAE DE SOUBIRAN, FUNDATRICIS SOCIETATIS MARIAE AUXILIATRICIS.

Super dubio

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum ; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

« Creator hominis, ita praeclare Augustinus, homo esse dignatus est ; factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat... Parum fuit ei hominem fieri ; sed etiam ab hominibus reprobari : parum erat reprobari et exhonorari, parum erat exhonorari et occidi, sed et hoc parum erat :

morte crucis... Elegit extremum et pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem ... Ipsam crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tanquam trophaeum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius» (Tr., 36, 4, in Io.).

Venerabili Mariae Teresiae de Soubiran, utpote fideli suae, Christus, qui talem honorem dedit supplicio suo, crucem eamque durissimam servavit, ut sui triumphi non modo in caelis, sed et in terris eam participem faceret.

Iosephus Baro de Soubiran La Louvière et Noëmi de Gelis, e nobilissima gente ambo, eam genuerunt. Nec mundana tantum nobilitate uterque claruit, sed et Christiana. Nonnulli enim de horum familiis vitae sanctitate floruerunt, atque pro catholica fide seu bonorum rapinam passi, seu sanguinem, uti fertur, profuderunt. Die 17 Maii mensis a. D. 1834 in loco vulgo dicto « Castelnaudary » intra Carcassonensis dioecesis fines, pridie nata, Sophia, Teresia, Augustina sacris baptismi aquis abluta est. Sub piorum parentum disciplina adolevit; animarum vero succensa zelo, Canonico de Soubiran, eius patruo, fautore, Marianae congregationi, puellarum numero frequentissimae, adhuc puellula admissa, sensim sine sensu ceterarum sodalium facta pietatis magistra, eas exemplo hortationibusque perfectionis semitas docebat. Se in Carmelitarum Claustro Deo dicare quidem optabat, sed eiusdem patrui impulsu, moderatorum quoque consilio, Beghinagium anno 1855 in patria constituit, sibique Mariae Teresiae nomen assumpsit.

Quo autem efficacius suae nonnullarumque sodalium perfectioni consulere, necnon pauperum necessitatibus subvenire, puellasque lumine destitutas alere, aut periclitantes a malo retrahere et ad christianam vitam adducere posset, Beghinagium, frustra refragante humani generis hoste, in Societatem, cui nomen a *Maria Auxiliatrice* indidit, transformavit. Episcopus Carcassonensis et Tolosanus Archiepiscopus novi huius Instituti regulas approbarunt. Anno autem 1868 per apostolicas litteras sub Piscatoris anulo datas Pius Papa IX, fel rec. Institutum laude honestavit; Leo XIII a. 1901 Institutum ipsum eiusque constitutiones approbavit; Pius XI denique a. 1924 approbationem hanc plene confirmavit.

Vix dictis referri potest quot labores, quot aerumnas, quot difficultates in hoc provehendo opere Venerabilis Maria Teresia perpessa sit, Christo, amantissimo eius sponso, confixa cruci. E sua enim Congregatione, unius tantum feminae vaferrima machinatione dolose dimissa,

bonis omnibus exspoliata, calumniis vexata, ab omnibus derelicta, mundo sibique veluti mortua, perfectum holocaustum pro suae Congregationis bono generose Deo se obtulit. « Deus mihi clare et evidenter ostendit, scribit, omnia in hoc mundo unam habere et habitura esse rationem: mortem nimirum, ut egomet, vivens, mortem in memetipsa continenter feram: mortem, inquam, eiusque sequelas; pro ingenio stupiditatem, pro corde frigus, pro voluntate nihilum, pro iis omnibus, quae me allicere possint, silentium, pro corpore infirmitatem. Ab huiusmodi vero morte nullus habendus deflexus: Deus enim vitae necisque in suas creaturas potestatem habet ». Mortem hanc pro sua immortali anima necessariam esse conditionem existimabat, ut in vita supernaturali firmaretur, atque addebat: « Per orationem tantum nobis viam hanc mortis gaudii spiritualisque infantiae sequi datum est ».

Patiendi desiderio famulae suae Deus abunde obsecundavit.

E sua enim Congregatione dimissa, in Ordinem Dominae Nostrae a Caritate fuit benigne excepta et ad vota nuncupanda admissa. Humilibus sancte perfuncta officiis, mira virtutum omnium specimina dedit, quarum tamen iubar post eius obitum clarius refulsit, praesertim postquam iniquae patefactae sunt artes, quibus, Deo ad eius virtutes perficiendas permittente, fuit ipsa impie impetita atque excruciata. Die 7 Iunii mensis a. D. 1889 Lutetiae Parisiorum sanctorum mortem oppetiit.

Agnita, non sine divinae Providentiae consilio, rerum veritate Venerabilis Mariae Teresiae filiae eius beatificationis causam promovere sategerunt. Processus itaque ordinaria auctoritate, Parisiis et Carcassonae fuerunt adornati, quibus in Urbe excussis, Pius Papa XI fel. rec. die 9 Maii mensis a. D. 1934 causae Introductionis Commissionem sua manu obsignavit. Apostolicae dein inquisitiones habitae sunt in Curiis eisdem. De iuridico omnium processuum valore disceptatione habita, favorabile decretum die 22 Martii mensis anno 1938 ab hac sacra Congregatione editum est.

Eodem anno apud Revmum Cardinalem Ianuarium Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopum Ostien. et Albanen. Causae Ponentem seu Relatorem antepraeparatoria Congregatio coacta est ut de Servae Dei heroicis virtutibus ageretur: cui die 11 Iulii sequentis anni praeparatoria successit; generalis demum die 21 Maii mensis huius anni coram Ssmo D. N. Pio Pp. XII habita est, in qua idem Revmus Cardinalis Relator, dubium proposuit disceptandum: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis eiusdem Servae Dei in gradu heroico in casu et ad*

effectum de quo agitur. Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suas sententias ediderunt; Beatissimus vero Pater, hisce attente auscultatis, rem esse coram Deo enixis precibus adhuc maturandam dixit.

Ut autem suam proferret sententiam hanc selegit diem 7 Augusti mensis.

Quapropter Revmis Cardinalibus Carolo Salotti Episcopo Praenestino, S. R. C. Praefecto, et Ianuario Granito Pignatelli di Belmonte, Causae Relatore nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali meque infrascripto Secretario accitis, divinaque hostia piissime oblata, edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Ven.* Mariae Teresiae de Soubiran *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur*.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 7 Augusti a. D. 1940.

✠ C. Card. SALOTTI, Episcopus Praenestinus, *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

DUBIUM

CIRCA ABSOLUTIONEM GENERALI MODO IMPERTIENDAM MILITIBUS « IMMINENTI AUT COMMISSO PROELIO ».

In Indice facultatum, quas Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XII concessit pro tempore belli, et de quibus in *Acta Ap. Sedis*, a. 1939, p. 710 et sqq., legitur :

« Imminenti aut commisso proelio ... liceat ... Sacerdotibus absolvere a quibusvis peccatis et censuris quantumvis reservatis et notoriis, generali formula seu communi absolutione, absque praevia orali confessione, sed doloris actu debite emisso, quando sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia singuli audiri nequeant ».

Iamvero quaesitum est : Quid faciendum si aliquando circumstantiae tales sint ut praevideatur moraliter impossibile aut valde difficile fore ut milites turmatim absolvi possint " imminenti aut commisso proelio " ?

Sacra Paenitentiaria Apostolica, omnibus mature perpensis, respondendum censuit : In praedictis circumstantiis, iuxta Theologiae moralis principia, licet, statim ac necessarium iudicabitur, milites turmatim absolvere. Sacerdotes autem sic absolventes ne omittant paenitentes docere absolutionem ita receptam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint eisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore peragendi.

Facta autem de praemissis relatione Ssmo Domino Nostro Pio div. Prov. Pp. XII ab infra scripto Cardinali Paenitentiario Maiore in Audientia diei 7 vertentis mensis, idem Ssmus Dominus resolutionem Sacrae Paenitentiariae approbavit, confirmavit et publicandam mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Paenitentiariae, die 10 Decembris 1940.

L. Card. LAURI, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

VILNEN.

NULLITATIS MATRIMONII (SYRICKA-TERENTIEN)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Domini Bazyli Terentien, in causa conventi, eundem citamus ad comparendum, sive per se, sive per Procuratorem legitime constitutum, in Sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Via della Dataria, 94) die 5 Aprilis 1941 hora decima, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum, et ad diem designandam, qua habebitur Turnus Rotalis pro causae definitione:

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedicti Bazyli Terentien, curare debent, ut de hac edictali citatione ipse moneatur.

Albertus Canestri, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 14 Decembris 1940.

Iohannes M. Pinna, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mr Basile Terentien, défendeur en cette cause, nous le citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, via della Dataria, 94) le 5 avril 1941, à 10 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessus rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence du dit Basile Terentien devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì, 9 dicembre 1940, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Signor LEONE BÉRARD, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario di Francia, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 26 novembre 1940, nel Palazzo delle Congregazioni a S. Callisto, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria,* presso Sua Eminenza il Sig. Cardinale Carlo Salotti, Prefetto della stessa S. Congregazione e Ponente della Causa della Serva di Dio Caterina Tekakwitha, vergine indiana, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù esercitate dalla predetta Serva di Dio.

Martedì, 3 dicembre 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso sulla introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione delle Serve di Dio:

a) Francesca Anna Cirer Carbonell della Vergine Addolorata, suora professa dell'Istituto delle Suore della Carità nella diocesi di Malaga.

b) Maria Francesca Siedliska, fondatrice dell'Istituto della Sacra Famiglia di Nazaret.

Martedì, 10 dicembre 1940, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla augusta presenza del Santo Padre, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *generale,* nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno dato il loro voto sulla eroicità delle virtù della Serva di Dio Maria Teresa Haze, fondatrice delle Figlie della Croce.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato in data 20 novembre 1940, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è benignamente degnato di nominare i Reverendissimi Padri Adamo Pierotti, dell'Ordine dei Frati Minori, Vigilio da Valstagna, dell'Ordine dei Frati Minori Cappuccini, Raffaele Maria Baldini, dell'Ordine dei Servi di Maria, e Luigi Manzini, della Congregazione dei Barnabiti, *Consultori della Sacra Congregazione dei Riti* (*1ª Sezione*).

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

30 novembre 1940. Monsig. Emilio Marchetti, *Cappellano Comune Soprannumerario.*

Assistente al Soglio Pontificio

19 novembre 1940. S. E. Revma Monsig. Augusto Bertazzoni, Vescovo di Potenza e Marsico Nuovo.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

21 novembre 1940. Monsig. Giovanni J. Boylan, della diocesi di Des Moines.
28 » » Monsig. Saverio Carabellese, della diocesi di Molfetta.

Prelati Domestici di Sua Santità:

7 novembre 1939. Monsig. Carlo Bock, dell'archidiocesi di Praga.
11 » 1940. Monsig. Luigi Valetto, della diocesi di Civita Castellana.
17 » » Monsig. Gaetano Fagiani, della diocesi di Nardò.
22 » » Monsig. Domenico Amalfitano, dell'archidiocesi di Napoli.
» » » Monsig. Giacomo Lombardo, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Celestino Molfese, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Ricciolio, della medesima archidiocesi.
5 dicembre » Monsig. Michele Tommasone, della diocesi di Lucera.
7 » » Monsig. Antonio Lazzarini, della diocesi di Lodi.
16 » » Monsig. Giuseppe Giovanelli (Roma).

ONORIFICENZE

Con Breve in data 21 novembre 1937, il Santo Padre Pio XI, di s. m., si degnò di conferire la *Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa* al sig. Barone Corrado Saurma de Jeltsch, dell'archidiocesi di Breslavia.

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

12 novembre 1940. Al sig. dott. Alessandro Pfanner, dell'archidiocesi di Lucca.
» » » Al sig. avv. Giovanni Carignani, della medesima archidiocesi.
3 dicembre » Al sig. Mario Amadeo (Argentina).
9 » » Al sig. cav. ing. Giuseppe Gualandi, dell'archidiocesi di Bologna.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

11 dicembre 1940. Al sig. Giuseppe Premuda, del Patriarcato di Venezia.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

4 dicembre 1940. Al sig. Gaspare Conigliaro, dell'archidiocesi di Siracusa.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

18 settembre 1940. Al sig. Luigi Chalvin, dell'archidiocesi di Lione.
» » » Al sig. Amato Chavanne, della medesima archidiocesi.
13 novembre » Al sig. Renato Alfieri, della diocesi suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.
18 » » Al sig. Antonio Calatri, dell'archidiocesi di Cagliari.
28 » » Al sig. Umberto Bonetti, dell'archidiocesi di Milano.
12 dicembre » Al sig. Augusto Casadei, della diocesi di Forlì.

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

13 settembre 1939. Monsig. Giuseppe Aguilar, della diocesi di Zamora.
» » » Monsig. Antonio Mendez, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Pietro Castillo Estrada, della diocesi di Tehuantepec.
28 » » Monsig. Ilario Alcini, della diocesi di Todi.
16 maggio 1940. Monsig. Giuseppe Kaurinovic, della diocesi di Banjaluka.
» » » Monsig. Gerardo Purk, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni Vlašić, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Paolo Pajic, della medesima diocesi.

16 maggio 1940. Monsig. Nicola Bilogrivic, della medesima diocesi.
7 ottobre » Monsig. Sebastiano Alemanno (Roma).
17 » » Monsig. Ippolito Rostagno, dell'archidiocesi di Torino.
24 » » Monsig. Carlo Gadda, della diocesi di Aosta.
» » » Monsig. Baudelio Pelayo Brambila, della diocesi di Chihuahua.
» » » Monsig. Francesco Espino Porrás, della medesima diocesi.
31 » » Monsig. Giovanni Mignone, della diocesi di Sant'Angelo dei Lombardi.
7 novembre » Monsig. Giovanni Lavezzo, della diocesi di Adria.
» » » Monsig. Luigi Cardini, della diocesi di Arezzo.
» » » Monsig. Silverio Mattei, della diocesi di Rieti.
» » » Monsig. Giuseppe Maria Boris, dell'archidiocesi di Torino.
15 » » Monsig. Giuseppe Micossi, della diocesi di Vittorio Veneto.
21 » » Monsig. Giovanni Battista Panzano, della diocesi di Lucera.
» » » Monsig. Luigi Santi, della diocesi di Como.
5 dicembre » Monsig. Ferdinando Svetoni, della diocesi di Montepulciano.
» » » Monsig. Giuseppe Scurpa, della diocesi di Veroli.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

17 ottobre 1940. Monsig. Silvestro Siciliano, della diocesi di Nicosia.
21 novembre » Monsig. Luigi Scialdoni (Roma).

Cappellano Segreto d'onore di S. S.:

21 novembre 1940. Monsig. Adalberto Asvanyi, della diocesi di Alba Reale.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

PAG.

I. *Abyssinen.* – Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Iustini De Iacobis, Episcopi Nilopolitani, primi Vicarii Apostolici Abyssinensis e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paull. – *26 Iunii 1940* 558

II. *Massilien.* – Decretum reassumptionis causae canonizationis B. Aemiliae de Vialar, Virginis, Fundatricis Instituti S. Ioseph ab Apparitione – *26 Iunii 1940* 559

III. *Pictavien.* – Decretum de « Tuto » pro canonizatione B. Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, Virginis Confundatricis Congregationis Filiarum a Cruce, vulgo Sororum S. Andreae. – *7 Augusti 1940* 561

IV. *Viterbien.* – Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servi Dei Ioannis Bapt. a S. Michaële Archangelo, Congregationis Clericorum Excalceatorum Ss. Crucis et Passionis D. N. I. C. Confundatoris. – *7 Augusti 1940* 563

V. *Parisien seu Carcassonen.* – Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servae Dei Mariae Teresiae de Soubiran, Fundatricis Societatis Mariae Auxiliatricis. – *7 Augusti 1940* . . . 567

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Dubium. Circa absolutionem generali modo impertiendam militibus « imminenti aut commisso proelio ». – *10 Decembris 1940* 571

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis: Vilnen. – Nullitatis matrimonii (Syricka-Terentien). – *14 Decembris 1940* 572

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 573
II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* . 573
III. Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 574

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
P. TANNERY, **QUADRIVIUM DE GEORGES PACHYMÈRE ou** *ΣΥΝΤΑΓΜΑ ΤΩΝ ΤΕΣΣΑΡΩΝ ΜΑΘΗΜΑΤΩΝ ἀριθμητικῆς, μουσικῆς, γεωμετρίας καὶ ἀστρονομίας.* Texte revisé et établi par le R. P. E. Stéphanou A. A. In-8°, pp. CII-460 (*Studi e Testi N. 94*)	250 —	250 —	258 —
CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE. Fonti. Serie II, Fascicolo XVI. *Caldei. Diritto antico.* III. LIBER PATRUM, latine interpretatus est notis illustravit Iacobus M. Vosté, O. P. e Pont. Comm. ad redigendum C. I. C. O.	10 —	10,50	11 —
COSTANTINI CELSO - Arciv. tit. di Teodosia, Segretario della Sacra Congr. de Propaganda Fide **L'ARTE CRISTIANA NELLE MISSIONI** *MANUALE D'ARTE PER I MISSIONARI* Vol. II della Collezione *Urbaniana*. In-8°, pag. 430, con numerose illustrazioni nel testo	25 —	28 —	33 —
DE RELIGIOSIS, ad normam Codicis Iuris Canonici, edidit P. Timotheus Schaefer O. F. M. C. Editio tertia aucta et emendata. 1940. In-8°, pp. 1370	94 —	97 —	106 —
ORDO DIVINI OFFICII recitandi sacrique peragendi iuxta kalendarium **Universalis Ecclesiae** pro anno Domini **1941**	3 —	3,50	4 —
NORMAE pro Constitutionibus Congregationum Iuris Dioecesani a S. Congregatione de Propaganda Fide dependentium — 1940. .	5 —	5,50	5,75
STATUTI che devono osservarsi dalle **Suore Esterne** dei Monasteri delle Monache di qualunque Ordine	1 —	1,20	1,25

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis,,
(*Libreria Vaticana – Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722*)

Di prossima pubblicazione:

ANNUARIO PONTIFICIO

PER L'ANNO 1941

Ritratto di S. S. Pio XII - Legatura in tela, titolo in oro.

La serie dei Romani Pontefici - La Gerarchia Cattolica: Pontefice regnante - Collegio dei Cardinali - Patriarcati - Arcivescovati e Vescovati residenziali - Arcivescovati e Vescovati titolari - Abbazie e Prelature Nullius - Amministrazioni Apostoliche ad nutum Sanctae Sedis - Prelati di rito orientale con giurisdizione ordinaria - Vicariati Apostolici - Prefetture Apostoliche - Missioni - Custodia di Terra Santa - Religiosi - La Curia Romana: Sacre Congregazioni - Tribunali - Uffici - Rappresentanze della Santa Sede - Corpo diplomatico presso la Santa Sede - Commissioni permanenti - La Cappella Pontificia - La Famiglia Pontificia - Elemosineria Apostolica - Uffici e amministrazioni Palatine - Ordini equestri - Stato della Città del Vaticano.

APPENDICE: *Vicariato di Roma - Vicariato della Città del Vaticano - Istituti di studi superiori - Accademie Pontificie - Seminari - Collegi ecclesiastici - Collegi di religiosi - Ospizi - Elenchi alfabetici degli appartenenti alla Cappella e alla Famiglia Pontificia - Dati statistici - Distribuzione geografica delle Sedi residenziali, Vicariati e Prefetture apostoliche, ecc. - Ordini, Congregazioni ed Istituti Religiosi Femminili - Elenco alfabetico dei nomi de Curia - Indice delle Protettorie - Dignitari defunti - Indice alfabetico dei nomi delle persone - Indice delle materie - Indice schematico del volume.*

In Italia L. 40 Estero L. 45 franco di porto

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
S. IOANNIS LEONARDI, Conf. (die 9 Oct.) Officium	0,60	0,60	0,75
— Missa	0,75	0,75	1 —
CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38)	12 —	13 —	14,50
— *Linteo contectum*	19 —	20 —	21,50
— Appendix, ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8°	2 —	2,50	3 —
TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO PETRI Card. GASPARRI. Editio nova ad mentem Codicis I. C. - Vol. I, pp. 472 - Vol. II, *cum alligatis*. In *brochure*, pp. 620	50 —	53 —	60 —
Volumina partim corio, partim lintео contecta, cum titulo aureo	74 —	77 —	84 —
GASPARRI Card. PETRI - **CATECHISMUS CATHOLICUS:** In-12° pp. 488	15 —	16,50	21 —
Lintео contectum	22 —	23,50	28 —

MONITUM

Omnes - qui nostrum "Acta Apostolicae Sedis" Commentarium officiale sunt pacti, quibus mense decembri 1940 nomina excidunt et denuo subnotandi voluntas est - ut quam primum subscribant rogantur, ne iisdem ullam missio pro anno 1941 fasciculorum, volumen XXXIII complectentium, moram patiatur.

In renovanda vero subnotatione ut alteram ex fasciculorum schedulis externis mittant, vel numeros designent nomini ipsi praepositos socii iterum rogantur.

Pro Italia L. 35 — Extra Italiam L. it. 55 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
(*Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722*)